



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regale Sacerdotivm

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. 3. Sacerdotes esse oportet constantes & immobiles.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54698](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54698)

documenti quod ipse Dominus primis Sacerdotibus tradidit, *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae.* Serpentinae altitiae comes accedat columbina simplicitas; quae duae partes semper se mutuo sequi debent. *Matth. 10.*

CAPVT III.

SACERDOTES ESSE OPORTET

constantes & immobiles.

Ipse Redemptor Christus summus Evangelicæ legis Sacerdos primos Sacerdotes instituens, primatū & præcipuum eorū caput dicit voluit Petrā, eumq; Ecclesiæ suæ in fundamentū dedit dicens, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Petra porro constantiæ symbolum est, simul etiam ostendere voluit, vel se ut sui Sacerdotes Ecclesiæ, petrarum instar constantes & rupibus pares sint, quæ quavis fulminibus impetantur, tonitru concutiantur, loco tamen minimè mouentur aut cedunt. *Matth. 16.*

Porro Sacerdotis mens Proteo non debet esse mutabilior, non gallinaceus campanilium ad omne flabrum mobilis, nō coturno versatilior, non chamæleonte mutationi subiectior, omnes in se formas & figuras admittens; sed in eodem semper statu perseveret, seseque immobilem ostendat, in quo palmam imitetur, quæ etiam vi maximā attracta non flectitur; incudem quoque ictibus assiduis resistentem; arcam denique Noëi, à naufragio liberam, sed quò imbribus & fluctibus magis impetebatur, eo cælo magis *Gen. 7.*

Sacerdotes
instar Pe-
træ sint
immobiles

Sacerdos
non sit
mutabilis.

gis

gis impetebatur, eo cælo magis approximant. Factumq; est diluuium quadraginta diebus super terram, & multiplicata sunt aquæ, & eleuata arcam in sublimè à terra. Idem omnino faciat sacerdotis anima, & quocumque demum tentatum turbine concutiatur, naufragium tantum in peccati fluctibus non faciat.

Sacerdos Dei, inquit Cyprianus, *Euangelium tenens, & Christi præcepta custodiens occidi potest, & vinci non potest.* Exemplo sit magnus Dominus Sacerdos Zacharias, qui cum minis non flectitur, & omnem suppliciorum feritatem irretit, in medio templi fuit iugulatus, atque cum anima hæc emisit voces, *Vos reliquistis arcam Domini, & Dominus relinquet vos.* Ad Proprietatem huius imitationem constantes & infractibiles Sacerdotes, heroica mente præditi, & animi in maximis etiam periculis non despondeant.

Exod. 28.

Sacerdos Iudaicus coccum bis tinctum habebat in veste.

In Exodo præcepit Deus, vt summi Pontificis vestes ex auro, purpura, hyacintho fierent cocco bis tincto: *Faciant autem superhumera de auro & hyacintho, & purpura & cocco bis tincto.* Aurum, purpura, & coccus, numquam color mutant, & in eodem semper decore permanent, quod verò hæc summus Pontifex conuenitur, denotabat, stabilem illum, constantem in Dei obsequio infractum esse oportere, nihilque reperiri posse indignius, quam Sacerdotis mutabilitati & variationi obnoxium.

Cogitationum varietas inconstantia signum. Leuit. 13.

Inter cetera lepræ indicia & signa, hoc imprimis, si quando in ægro pili colore mutato alium induerent, *Qui cum viderit pilas in barbam mutatos colorem, &c. plaga lepræ est.* Cogitationum sunt symbola, & lepra peccatorum designare autem vult mysterium, cum cogitatio

ones colorem mutant, & aliud propositum concipiunt in mente debili & infirma, etiam in religioso, inconstantiam, id est leuitatem arguere, multorumque id vitiorum subeuntium argumentum esse.

Magnus ille rex David, diuino quodam zelo actus, & beneficia à Deo sibi collata longa serie recensens, imprimis illum deprædicat, quod constantiam clienti suo dederit, pedesque non in arena mobili, sed in petra dura fixerit; *Statuit super petram pedes meos.* Ad regis huius imitationem Deo ingentes agere debet gratias Sacerdos, quod dono illum constantiæ ornarit, cogitationesque eius, qui animæ pedes sunt, super petram firmitatis, non verò super arenam vanitatis inconstantiaque collocarit.

Cordata illa Iudith aduersus Holofernem regis Assyriorum militiæ præfectum cum conspirasset, & sua iam molimina ad effectum perducere vellet, genibus in terram prostratis, ita Deum deprecata est, *Da mihi in animo constantiam, vt contemnam illum, & virtutem vt evertam illum.* Sacerdotum preces, precibus mulieris huius esse deberent persimiles; assidueque à Deo cor constans, immutabile, animam fortem & generosam & virtutem infractam petere; ipsi enim sunt, qui iam inde à principio vocatiõis suæ aduersus mundum, carnem, diabolumque conspirarunt.

Ingens illud, mirabile & capax templum, quod vidit olim Prophetâ Ezechiel, è lapidibus quadratis constructum erat, *Quatuor autem mensæ ad holocaustum de lapidibus quadris exstructa.* Quadratum porrò constantiæ Symbolum

David Deū
laudat
quod sibi
dederit
constantia:
Psal. 39.

Iudith cō-
stantiam à
Deo petijt:
Iud. 9.

Quadratū
constantia
symbolum
Ezech. 40.

Est,

Ezech. 40.

est, ad quodcunque enim latus figuram illam conuertas, idem semper schema demonstrat faciem. Denotare autem volebat, Sacerdotes qui lapides angulares Ecclesie sunt, quadratos penitus esse debere, id est in proposito constantes, in votis immutabiles, & in exercitijs stabiles, debere inquam esse quadratos, non vero varios ac mutabiles.

Incōstantia nec in celo nec in terra apparet.

Apoc. 21.

Ciuitas illa magna, quam Ioannes in Apocalypsi describit, quoad situm in quadroposita esse dicitur, *Et ciuitas in quadroposita est.* Sicut autem ciuitas illa Ecclesiam repræsentet, cælum beatorum domicilium, demonstrare non vult, tum in cælo tum in Ecclesia nihil constantiam reperiri posse, cuius imago est quadrata figura: & quemadmodum Sancti qui cælo continentur, numquam mutantur, ita in Sacerdotes, quos Ecclesia complectitur, variari possunt, nec vllam inconstantie notam præferre.

Luna inconstantie symbolū.

Apoc. 12.

Apocalypseo cap. XII. mulier describitur prodigiosa, suis lunam pedibus premens, solem humeris gestans. *Signum magnum apparuit in celo, Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius.* Multa quæ extra propositum nostrum relinquendo, si mulier hæc Ecclesie typus est ipsaque Luna inconstantie symbolum, cum perpetuo mutetur; ipsum proculdubio mysterium aliud non indicat, quàm dum Ecclesia quidquam mutabile est pedibus premit, Sacerdotes, eiusdem rectores sunt & administri, stabilem firmam mentem præferre debere, & numquam à constantie quadro desistere.

Inconstans Luna similis.

Ecclesi 27.

Hinc in Ecclesiastico scriptum est, *stultorum sicut lunam mutari, iustum autem per manere* ut sic

ut solem, nec unquam mutari. Hoc materia
mez accommodans, dico, Sacerdotem sapien-
tem nunquam in proposito & conceptibus
suis mutari, in tentationibus rupis instar fir-
mum persistere, in professione non variare, &
verum mundo solem existere: at qui stabilis
non est, qui ad singula momenta vestem mu-
tat, quique plures opiniones, quam cha-
meleon colores, assumit, ventosum esse,
stolidum, euanidum, lunaticum, & cerebro de-
stitutum.

Sacerdotes
sunt in vir-
tute stabili-
les.

Non ventiles te in omnem ventum, & non
in omnem viam: esto firmus in via Domini,
& in veritate sensus tui, ait Sapiens. Monitum
hoc Sacerdotes imprimis concernit, qui levis
armaturæ equites esse non debent, & in omnem
semitam deflectere, novitates consecrando,
sed in acie virtutis stabiles persistere, nec un-
quam à semita iustitiæ deviare.

Eccles. 5.

Moriamur, dicebant septem fratres Macha-
bai, omnes in simplicitate nostra, & testes erunt
super nos caelum & terra, quod iniuste perditis nos,
&c. Egregium hoc Sacerdotibus documentum
est, ut aduersus tristitia & aduersa se infractos
prebeant, tyrannidi se obijciant, & statum
religionis, diuinasque constitutiones ad mor-
tem vsque & sanguinem defendant, ac viriliter
tueantur.

2. Mach. 6.

Vnde consulit Apostolus Christianis Neo-
phytis Ephesi commorantibus, Non simus par-
uuli fluctuantes & circumferamur omni vento do-
ctrinae in nequitia hominum. Illi vero omni
vnda ventoque abripiuntur, & instar paruu-
lorum fluctuantur, qui inconstantes sunt,
resque novas consecantur: Sacerdotes vero

Paruulorū
propria est
inconstan-
tia.

Ephes. 4.

viros se esse demonstrent ac rupibus per similes, quæ quibuscumque tandem fluctibus concutantur, non cedunt.

Participes Christi effecti sumus, si tamen in eius substantia eius vsque ad finem firmum retineamus.
Heb. 3. Sacerdotibus perseverantia necessaria. Sacerdotes autem imprimis Christi eiusque meritorum participes sunt, modò in Dei seruitio ac cultu stabiles perseverent, principumque fini respondeat, & conclusioni exordium.

Collat. 6.

cap. 1.

Anima Sacerdotis adamanti esse debet similis.

Hinc dixit olim religiosus Cassianus, Sacerdotis animam ac mentem non debere esse molli, vel alteri cuidam materiæ teneriori, quam eandem figuram retinet, sed aliam & adamantinam iuxta characteres recenter impressos admittit, esse per similem; sed adamantini, cui cum gura aliqua fuerit impressa, aliam non admittit, neque enim duabus est locus. Ut constantiam scilicet illorum demonstraret, ut qui numquam variare aut eradere primi characteris figuram debeant: qui verò facillè mutant & ad omnem se figuram adaptant, & sunt, omnes figuras admittenti, per similes.

Idem coll.

cap. 25.

Sacerdotum constantia in tribulationibus lucere debet.

At in tribulationibus præsertim, veri Sacerdotis animus immobilem se præstare debet. Excellentis enim virtutis est actus, si anima miris circûvallata, & afflictionibus pressa, semper immobilis ac firma perseverat, si inquam vitæ que impetita numquam succumbat, sed in protectione Dei cæli & in adiutorio Altissimi confidens, in medio tumultuum & aduersitatum conflictu, inuicta inimicos vincat, & de patientia honorificos triumphos statuat. Quippe verè masculus & generosus est, animus

quæ heroici, qui in afflictionum certaminibus & tristium impetu animum non despondet, sed fortior insurgit.

Bonam vitam Sacerdotis ego puto, & mala pati, Vita boni & bona facere, & sic perseverare vsq; in finem. Sacerdotis cincta sententia, sed neruosa, quæque ostendit, est dura cor in afflictionibus immobile & infractum pati. habere, veri Sacerdotis triumphum & gloriam esse.

S. Bernardus
serm. de S.

Apost. Pet.

& Paulo.
Sacerdotes
similes col-
umnæ
ferreæ &
muro æ-
neo.

Jerem. 1.

Deus Ieremiam Prophetam olim delegans ad verbum & voluntatem Dei denuntiandam, his eum est verbis allocutus, Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam & in columnam ferream, & in murum æneum. Quibus verbis ostendere volebat, eum, cum ad opus Dei assumptus esset, instar loci muniti inuictum, instar columnæ ferreæ immobilem, & muri ænei instar infractum esse debere. Post Prophetæ illam constantiam, denotare volebat, Sacerdotes, qui ad altissimi munus exequendum vocati sunt, nihil meture, sed loca munita, columnas constantiæ, & muros animositatis esse debere.

Et sanè ita constantes esse debent Sacerdotes, numquam vt, vel ob fortunæ impetus vel afflictionum flagella, vel passionum insultus, vel calumniantium impropria de sententia animiq; proposito, decedant. Si quis enim ob populi dicta animo statim deiici cœperit, nihil vniquam quod generosum admirandumq; sit, parere poterit. Verba autem & calumnias negligere, conuitiaque insultantium irridere, vera constantiæ imago est, at quæ Sacerdotes cum primis deceat.

Sacerdotes
dicta po-
puli con-
temnant.

Chryst lib. 5.
de Sacerd.

Obluiscantur adulationes, &

negligant detractio-

Adeò quoque Sacerdotes constantes esse debent, vt non magis commouentur adulationibus, nec.

Serm. 63. in
Cantic.

Tanti ho-
nores quā-
ti iniurias
faciant,

Bonau. in
phares. l. 2.

c. 32. ex

Senec.

Homo cō-
stans non
debet cu-
rare quæ
dicit mun-
dus.

Eccles. II.

S. Thom. in

5. ca. Math.

Exod. 28.

Sacerdos
aduersus
prosperi-
tatem &
aduersitatē
armatus
fit.

2. p. past. c. 3.

2. cor. 6.

Constans
passioni-
bus resistit
& omnib.

bus, quàm affligantur calumnijs: illæ obliuio-
ni tradendæ; hæ dissimulandæ, ait Bernardus
Quod qui facere neglexerit, nec Deo gratus nec
hominibus futurus utilis.

Tanta quoque esse constantia debet Sacerdo-
tis, vt eum honores & iniurias vulgi in prom-
scuo habere oporteat, illis non gaudento, nec
has verò non se contristando. Magnum porro
constantia argumentum est, aduersus omnia ac-
cidentia immobile cor habere.

Et profectò quicumque obseruat & spectare
quæ mundus dicit, numquam quid boni præste-
bit, iuxta sapientis axioma, *Qui obseruat ventum
non seminatur; & qui considerat nubes, numquam
metet.* Dicere vult, mundi gannitum & ob-
stinationes considerare, ac vanitates obseruare
nubes, non cōstantiæ sed stoliditatis signum esse.

In veteri testamento Sacerdotis Molaticum
meri velamine super vtramque scapulam et
tenso velabantur. Vnde Gregorius, *Superma-
ris imperio in vtroque humero Sacerdos superma-
meralis velamine astringitur, vt. contra aduersa
prospera, virtutum semper ornamento munitus.*
Denotat mysterium, Sacerdotem semper armatum
virtutis aduersus felicitatem atque aduersita-
tem esse armatum debere, vt sub armis iustitiam
dextris & sinistris incedens, nullum in la-
dessecat, sed constantiam velut symbolum
se ferat.

*Hominem constantem, ait eodem loco Grego-
rius, prospera non eleuant, non aduersa pertu-
bant, non blanda vsque ad voluptatem demulcent,
non aspera vsque ad desperationem premunt,
nulli affectui aut prauæ inclinationi deditus, in
nibus actionibus se ostendit verè sapientem.*

Huiusmodi cum sit Sacerdos, quidquid ad fortunis
 versi fortuna suggerit, illum haud deprimat; superior
 quidquid verò blandi spondet & offert, non est
 sustollitur.

Per bonam & malam famā à dextris & à sinistris In prol. in
 Christi miles, ait S. Hieronymus, graditur, nec Esther.
 laude extollitur, nec vituperatione frangitur, divi. Bonau. in
 tijs non inflatur, nec ob paupertatem confun- phar. l. 2. c.
 ditur, tam læta quàm tristia ridet & exhibilat, 32.
 Hoc autem ritu Christi Sacerdos viuat, si modo
 suam velit probare constantiam, animoque se
 generoso esse conetur ostendere.

Scribitur in Ecclesiastico, Homo sensatus in sa-
 pientia munit sicut sol, nam stultus sicut luna mu-
 tarur. Huic sententiæ quàm proximè accedens,
 dico Sacerdotem, qui mutationi non sit obnox-
 ius, solis naturæ quàm maximè similem esse, at
 qui variatur & instabilis est, lunatico se similem
 perhibere.

Constans
 soli com-
 paratur.
 Cap. 27.

Christus Dominus Zachariæ filium Ioannem
 deprædicans, eiusque encomia coram omnibus
 Iudæis depromens, constantiam illius imprimis
 commendauit dicens, *Quid existis in desertum
 videre? an arundinem vento agitatam?* Porro
 illi inter Sacerdotes filij Dei ore deprædicari
 merentur, qui arundini similes non fuerint,
 sed ventis & turbinibus resistunt, animum

Math. 12.
 Luc. 7.

infractum gerunt, & Baptistas
 imitantur.

{:o:}

L. 4. CAP.